

XI.

C o m m e n t a t i o

de rarioribus quibusdam, maximam partem arabicis,
plantis in amplissima Schreberi collectione repertis.

A u t h o r e

Franc. de Schrank.

Quum forte inter fasciculos plantarum, nondum suis locis a summo Schrebero herbario suo systematico insertarum aliud quaererem, incidi in fasciculos duos, quorum alter epigraphen praeseferebat: *Plantae arabicae*, alter vero: *Plantae quaedam hispanicae, maxime e Monte Serrato*. Evolventi mihi utrumque mox constitit, utrumque a Celeb. Valilio missum esse, et posteriorem quidem plantas ab hoc Viro ipso lectas, non in Hispania quidem omnes, sed in Gallia etiam meridionali, atque in Barbaria, maxime circa Tunctum, et vix unam ex Monte Serrato (quo tamen nomine non celebre illud montium jugum Cataloniae, quod Manresae imminet, sed una minimarum ex Antillis Americae insulis venit) continere; priores vero ad unam omnes ex laboriosissimi Forskøhlhii collectione desumas, omnes vero in longe rarissimarum numero esse, de quarum quidem

quibusdam Vahlus in suis *Symbolis Botanicis* locutus est, servatis vero aliis *Enumerationi Plantarum*, quam, morte praereptus, non ultra dimidium tertiae Classis perduxit.

Non distuli diutius hunc thesaurum cum Botanicorum scriptis conferre, mox expertus, quasdam quidem etiam a recentioribus peregrinatoribus visas, plerasque tamen praeter Vahlum, et, quod Arabicas attinget, Forskohlium a nemine descriptas esse: nam Willdenowius nonnisi Vahlum, quod ipse gratus fatetur, exscripsit. Sed Vahlis quoque descriptiones, etsi plerumque accuratissimae, non tamen semper eae sunt, quibus, si plantam ipsam, etsi siccam, intueri datur, nihil addendum esse videatur. Ego quidem in mea Adversaria omnium nomina definitionesque retuli; sed nunc nonnisi de illis referam, de quibus praeter haec amplius, quod dicam, habebo, illud monens, de Arabicis plantis locuturum non me soli Arabiae indigenas promittere, sed aliquas etiam circa Constantinopolim et in graecis insulis, plures vero in Aegypto, maxime circa Alexandriam et Cairum occurrentes, a Forskohlio tamen in *Flora Aegyptiaco-Arabica*, quam Nieubuhrius edidit, indicatas.

CLASSIS II.

I.

Utricularia stellaris.

U. floribus racemosis; rami florentis basi foliis utriformibus, apice dichotome fibrillosis, verticillata.

Utricularia stellaris. Lin. jun. suppl. p. 86. — Vahl. symbol. I. p. 6. — Willd. spec. I. p. 113. n. 11.

Utricularia inflexa. Forsk. arab. p. 9.

Habitat in fossis agrorum oryza consitorum Indiae (König) et Aegypti (Forsk.).

Lin-

Linnaei filii descriptio minus bona; Forskohlii descriptio floris subobscura. Dicam, quid viderim.

Radices, ut in toto genere, nullae, quum planta nutrimentum ope herbae submersae adspiret. *Caules* longi, submersi natantes, alterni foliosi. *Folia* alterna, oblonga, fistulosa, undique in fibrillas longissimas, filiformes (dichotomas, addit Forskohlius) divisa. *Rami* floribundi ad perpendiculum elevati, aphylli praeterquam ad basin, ubi verticillus foliorum utriformium, utrinque attenuatorum (quorum 4 video, Forskohlius 7 et 8 vidit), apice in fibrillas dichotomas, sed breves divisorum. *Flores* racemosi; flos quivis fulcitur braetea lineari-lanceolata. *Corollae* formam non satis discerno, Forskohlius illam subobscurè describit.

CLASSIS III.

2.

Cyperus mucronatus.

C. culmo tereti, aphylo; involucre monophyllo, erecto; capitulo sublaterali.

Cyperus mucronatus. Rottboell gram. p. 19. tab. 8. fig. 4. — Vahl symb. I. p. 7. — Retz. obs. V. p. 10. certc. — Willd. spec. I. p. 273. n. 20.

Cyperus lateralis. Forsk. arab. p. 13.

Habitat in Aegypto, ubi illum ad Rosettam legit Forskohlius, et in India, unde illum misit Königius; in Arabia inventum esse, nemo Peregrinatorum dixit.

Gramen hoc ad subdivisionem primam, *Culmo tereti*, pertinet, omnino enim totus culmus teres est, nec angulatus evadit, nisi

proxime ad capitulum, ubi incipit in involucrium monophyllum abire, et ibi proprie vaginam format, ex qua et capitulum et folium involucri oriuntur; hoc recta sursum iter suum prosequitur, seu cum culmo in directum porrigitur, fitque circiter $1\frac{3}{4}$ dig. longum; involutum est, et culmum uno latere canaliculatum refert, quod Forskohlum decepit. *Capitulum* situm habet horizontalem, constatque spiculis 3 — 8, uti ex authoribus colligo; ego 5 video, spiculis Poae Eragrostidis similibus, non omnino sessilibus, sed revera pedicellis brevibus fultis. *Pedicelli* tamen hi undique teguntur squamis brevibus, imbricatis, quae revera nihil aliud sunt quam glumae palcaeae cassae, et ipsae incrementum plenum haud nactae, quibus quum totus pedicellus obsitus sit, non inepte spicula sessilis dici potest, et continget fortasse, ut in caldaria nostra translata planta, et cum cura culta, spiculae hae pro 14 aut 20 flosculis ad 30 vel 40 gerant.

Forma graminis Juncum filiformem in memoriam revocat. — Mucronatum dixerunt hunc scirpum, quod involucrium forma mucronis elongati ultra capitulum elevetur.

3.

Cyperus ferrugineus.

C. culmo triquetro, basi folioso; umbella composita, polyphylla; spicis omnibus pedunculatis, distinctis: spiculis linearibus, septemfloris. 4.

Cyperus ferrugineus. Forsk. arab. p. 14.

Habitat in Aegypto; in pratis ad Nilum copiosissimum et fere unicum Gramen.

Non est noster *Cyperus fuscus*, qui annuus est, quum praesens radicem repentem habeat, adeoque perennis sit. Differt praeterea

terea proceritate multo majore: specimen enim, quod coram est, 8 dig. metitur, sed authore Forskohlio etiam pedalis, imo dispithamalis occurrit. Umbella universalis tria folia habet, quorum unum umbellam totam triplo excedit, alterum simpliciter umbella longius, tertium radio maximo aequalis est; praeter haec plura alia folia angustiora adsunt, singula ad singulos radios, quorum quodvis radium suum saltem aequat, saepe superat. Spiculae longiores quam in nostro *C. fusco*, et tamen nonnisi septemflorae, quum europaeo *C. fusco* sint 9 — 13-florae. Glumae lato-lanceolatae, acutae, eleganter spadiceae, solo margine pallidae, qui teste Forskohlio in recente planta viridis est.

4.

Scirpus capitatus.

S. culmo tereti, aphylo, striato, filiformi; spica ovato-globosa terminali; peristachyo bivalvi. 4.

Scirpus capitatus. *Lin. spec. p. 70. n. 3. — Willd. spec. 1. p. 294. n. 12.*

Scirpus caribaeus. *Rottb. gram. p. 46. tab. 15. fig. 3.*

Patria America tropica.

Definitiones hujus et *S. ovati* apud Willdenowium minus commodae occurrunt; certe culmus *S. capitati* non magis setiformis, nudusque, spica non multo magis globosa dici potest quam *S. ovati*; compressus quidem culmus est in posteriore, sed non adeo ut valde pronum sit, hunc characterem observare; habent vero ambo *Scirpi* notas multo meliores. Igitur

capitatus S. culmo tereti, aphylo, filiformi; spica subglobosa, terminali, erecta; peristachyo bivalvi. 4.

ovatus S. culmo tereti, aphylo, filiformi; spica ovata, terminali, erecta; peristachyo univalvi. 4.

In *S. capitato* videor mihi flosculos triandros vidisse, qui in *S. ovato* plerumque sunt diandri.

5.

Scirpus maritimus.

S. culmo triquetro; panicula conglobata, foliacea; spicularum squamis trifidis: lacinia intermedia subulata. 4.

Scirpus maritimus. Willd. spec. I. p. 306. n. 55.

Scirpus corymbosus. Forsk. arab. p. 14.

Habitat circa Cahiram.

Europaeum, notissimumque *Scirpum* adfero, tum ut, quantum mihi licet, Forskohlii labores illustrem, tum ut geographicam plantae, quae etiam Bavariae indigena et ad lacum Chiemsee habitare dicitur, et passim nonnisi Maritima Europae incolere creditur, dispersionem indicem. Determinavi illum ad exemplar Forskohlianum, habeoque mecum consentientem Schreberum.

6.

Panicum fluitans.

P. spicis linearibus, alternis, sessilibus, adpressis; spiculis secundis, bifariam imbricatis, muticis; valvula peristachyi tertia minori, truncata.

Panicum fluitans. Retz obs. III. p. 8. — Vahl symb. I. p. 8. — Willd. spec. I. p. 338. n. 16.

Panicum geminatum. Forsk. arab. p. 18.

Gramen panicum polystachyum sinicum, binis granorum ordinibus. Pluken. amalth. p. 110. tab. 417. fig. 7. mala.

Habitat in insula Madegascar, in Aegypto ad Rosettam, et ab India usque in Chinam.

In Aegypto in pratis crescit, inundatis quidem suo tempore, sed a quibus aquae recesserunt; quod ideo observandum, ne putetur colendo huic gramini aqua perennis necessaria esse.

Spica et spiculae sessiles, Paspali fere forma, illae internodiorum longitudine, hae ovatae, biseriatae, secundae. Simillimum gramen *P. brizoidi*, etiam nodorum colore atro-purpureo, a quo nonnisi tertia calycis valvula differt, quae in *P. brizoide* caeteris major, acuta, in *P. fluitante* caeteris minor, et adco obtusa est, ut truncata videatur.

7.

Festuca dichotoma.

F. panicula dichotoma; spiculis sessilibus, divaricatis, trifloris, submuticis; foliis subulato-involutis, vaginis inflatis. ☉.

Festuca dichotoma. Forsk. arab. p. 22.

Habitat in Aegypto ad Alexandriam.

Gramen parvum. Radix fibrosa, exilis, alba. Culmi (ex eadem radice plures) breves (maximus, quem video, duos digitos Viennenses non attingit), toti foliis, caule longioribus obtekti, ut panicula aegre ex vagina emineat. Folia subulato-convoluta; vaginae ventricosae, striatae, membranaceo-marginatae. Paniculae dichotomae Ramuli tetragoni; quivis distachyos, et Spiculae divaricatae,

ses-

sessiles, oblongae, triflorae. *Flosculi* non omnino mutici, quum gluma exterior brevissimum mucronem exserat, qui tamen nisi oculo bene armato videri nequit. Gramen totum glaberrimum.

8.

Aristida plumosa.

A. arista intermedia longissima, plumosa, basi nuda, lateralibus capillaribus, vix calyce longioribus. 4.

Aristida plumosa. *Vahl symb. I. p. 11. tab. 3.* — *Willd. spec. I. p. 460. n. 6.*

In Speciebus Willdenowii addatur ad Patriam Armeniam, quam teste Schrebero habet hoc gramen, etiam Aegyptus, ubi illud circa Cahiram legit Forskohlius.

Vidi siccum ex collectione Forskohliana.

9.

Poa unioloides.

P. spica disticha, compresso-plana; spiculis alternis, sessilibus, oblongo-ovatis; calycibus omnibus carinatis. 4.

Triticum unioloides. *Vahl symbol. II. p. 46.* — *Willd. spec. I. p. 483. n. 16.*

Poa sicula. *Jacq. icon. rarior. II. tab. 303.*

Cynosurus siculus. *Jacq. observ. II. p. 22. tab. 43.*

Briza cynosuroides. *Scop. del. insubr. II. p. 21. tab. 11.*

Non

Non describo plantam, botanicis notissimam, et toties ab antiquioribus et recentioribus delineatam. Sed mirari subit, qui factum sit, ut planta ad alienissimum Tritici genus relata sit, quam quivis rectius cum Jacquinio inter Poas, aut cum Scopolio inter Brizas quaereret, quamquam omnino forte priori generi sociandam. Sed Rachis dentata est, seu, quod aliis verbis idem est, Inflorescentia spicam veram constituit. Verum ejusmodi character et ex artis regulis non sufficit, et in aliis graminum generibus non attenditur; Bromi enim pinnatus, cristatus, distachyos aequae veras spicas gerunt, spiculis perfecte sessilibus, quos quidem nuper Panzerus a Bromis sejunxit, non quidem propter spiculas sessiles, sed propter florum discrepantem formam, neque ad Triticum retulit, sed ad nova a se constituta genera Tragum et Zernam.

CLASSIS V.

10.

Heliotropium coromandelianum.

H. caulibus decumbentibus; foliis oblongis, villosis, integris; spicis simplicibus conjugatisque.

Heliotropium coromandelianum. Retz. obs. II. p. 9. — Vahl symb. I. p. 13. — Willd. spec. I. p. 742. n. 8.

Heliotropium ovalifolium. Forsk. arab. p. 38.

Habitat in Arabia felici, et Coromandelia.

Radicem ego perennem suspicor; fusiformis quidem illa est, extus nigricans, et ad exortum vix multum ultra pennam corvinam crassa, et simpliciuscula, sed in distantia ab exortu circiter semidigiti utrinque ramum exserit, longissimum, filiformem fere, simplicius-

culum quidem, nec fibrillosum, sed tamen, quantum videre licet, horizontaliter excurrentem, et forte radicaturum, quum tempus fuerit. *Caules* duo tresve ex eadem radice, procumbentes oblique, nigricanti-fusci, tenui villositate vestiti, sed non hispidi. *Folia* alterna, brevipetiolata, oblonga, acutiusecula, integerrima, utraque pagina densius villosa, et inde non mollia quidem, sed tamen non hispida. *Inflorescentia*, ut in genere, in spicis elongatis, floribus secundis; *Spicae*, uti Retzius, solitarias geminasque video. Etiam semina pilos habent densos, adpressos, sed parte sui exteriori tantum.

Hispidos caulem et folia primus dixit Sparrmann; sed voce hac saepius pro indicanda hirsutiae abuti mihi videntur Scriptores.

Descriptio ad specimen Forskøhlianum facta est.

II.

Heliotropium lineatum.

H. foliis lanceolatis, petiolatis, hispidis, planis, subrepandis; spicis terminalibus lateralibusque conjugatis; caule procumbente, fruticoso. †.

Heliotropium lineatum. Vahl symb. I. p. 13. — Willd. spec. I. p. 743. n. 13.

Lithospermum heliotropioides. Forsk. arab. p. 39.

Habitat circa Cahiram in Aegypto, inter Cucumeres.

Tota planta parvis, satis adpressis, sed densiusculis setis hispida. *Caulis* fruticosus, dichotomus, angulatus, praesertim ad partes superiores, nam in inferioribus, uti passim fit, magis in tere-tem formam abit. *Folia* alterna, brevibus petiolis fulta, variae magnitudinis, majora pollicem transversum longa, circumscriptione lan-

laneolata, sed plerumque margine plus minus sinuata, ut adeo obtuse dentata evadant, acutiuscula, pagina superiori utrinque lineis tribus (venis principalibus) obliquis, impressis exarata. Margine revoluta non video, nisi unum alterumve; Vahlus hanc Notam in Characterere adhibuit, sed videtur haec forma non nisi casu per exsiccationem oriri. *Spicas* laterales conjugatas video; terminales in specimine, quod coram est, desunt. *Corollas* albas dicit Forskohlius, sed exsiccatione nigrescunt; Tubus primo angustus, longitudine calycis, tum campanulatus; Limbus parvus.

Ad specimen Forskohlianum.

12.

Cynoglossum lanceolatum.

C. foliis obverse lanceolatis, sublinearibus, punctato-hispidis, subtus impunctatis: radicalibus petiolatis, superioribus sessilibus.

Cynoglossum lanceolatum. Forsk. arab. p. 41. — Vahl symb. II. p. 34 — Willd. spec. I. p. 761. n. 3.

Habitat in Arabia felici.

Verum *Cynoglossum* est, officinali simile, sed multo minus. *Caules* usque ad *spicas* vix digitum auricularem longi; *Spicae* plerumque geminae, sed etiam solitariae. *Folia* infima magis manifeste obverse lanceolata, petiolata; caulina fere linearia, basin versus attenuata, hispida tota uti omnis planta, sed setae, quae albae sunt, in pagina superiori ex puncto niveo oriuntur, quod in pagina inferiori fere deest.

Longitudo foliorum caulinarum fere 8 lin., latitudo $1\frac{1}{2}$ lin. Ego illa ad superiorem extremitatem non magis attenuata video quam in officinali, ut adeo character inde desumptus vacillet.

Corollas non vidi.

Lithospermum ciliatum:

L. fruticosum; cortice albo, hispido; foliis ovatis, albido-hirsutis, margine setoso-ciliatis. ‡.

Lithospermum ciliatum. Forsk. arab. p. 29. — Vahl symb. I. p. 14. — Willd. spec. I. p. 755. n. 13.

Habitat in Aegypto circa Cahiram, ad Canales.

Fruticulus parvus, valde ramosus, forte magnitudine Arbuti Uvae Ursi; erectum dicit Vahlus, mihi ex specimine Forskohliano, quod coram intueor, procumbens, aut certe diffusus videtur. Caulis et rami teguntur cortice albo, quasi gypseo, verruculis et setis aspero. Folia parva, magnitudine foliorum Serpylli, ovata, semiamplexicaulia, utrinque villo albo vestita, interspersis setis robustioribus, pariter albis. Omnes hae setae verruculis sat magnis insident, quae decedente seta remanent, unde verruculae corticis. Fructificationem non vidi.

Primula verticillata.

P. foliis lanceolatis, serratis: radicalibus longe petiolatis, caulinis floribusque verticillatis. 4.

Primula verticillata. Forsk. arab. p. 42. — Vahl symb. I. p. 15. tab. 5. — Willd. spec. I. p. 800. n. 1.

Habitat in Monte Kurma Arabiae felicis.

Quod descriptioni Forskohlii et Vahlis addam, non habeo, nisi ut moncam, quas Bractae florum verticillo subjectas uterque nominat

nat, vera folia esse, omnia sessilia, quarum quae infimo verticillo subjecta sunt, reliquis caulinis majora et serrata sunt, verticillo secundo subjecta minora et integerrima, verticillo tertio (nam tres verticilli adsunt) subjecta minima et integerrima: omnia lanceolata, latitudine pro ratione longitudinis aequae decrescente, tamen suprema lanceolato-subulata dici nequeunt. Nulla alia folia in caule.

15.

Stroemia glandulosa.

S. glanduloso-viscosa; foliis suborbiculatis; floribus apetalis. †.

Stroemia glandulosa. Vahl symb. I. p. 20. — Willd. spec. I. p. 994. n. 3.

Cadaba glandulosa. Forsk. arab. p. 68.

Habitat in Arabia felici.

Caulis fruticosus. *Folia* alterna, petiolata, fere orbicularia, integerrima, forma circiter foliorum *Rhois Cotini*, sed minora, diametro linearum 6. Tota planta omnibus partibus obducitur glandulis minimis glutinosis, villo proprie nullo.

Difficile genus, quod tot fere anomalias habet, quot species; harum quatuor novimus, omnes Arabiae incolae, omnes Forstohlii industriae debitas, sed quarum duae sunt floribus apetalis et pentandrae, duae petaliferae, et harum una pentandra, altera tetrandra, quam propterea Forstohlius pro specie *Cleomes* habuit, quicum totum genus magnam affinitatem habet, distinguitur tamen staminum numero nec senario, nec ejus multiplo, et parte floris accessoria (Nectarium dicunt), quae est tubulus ligulatus excentricus inter receptaculum elongatum et laciniam calycis superiorem situs; convenit autem capsula uniloculari, tereti, bivalvi, quae perperam bacca

corticosa dicitur, et staminibus receptaculo pedicellato insidentibus, et quoad hanc quidem proprietatem non nisi cum quibusdam Cleomes speciebus.

16.

Stroemia rotundifolia.

S. foliis orbiculatis, glabris; floribus apetalis. †.

Stroemia rotundifolia. Vahl symb. 1. p. 20. — Willd. spec. 1. p. 994. n. 4.

Habitat frequens circa Lohajam Arabiae.

Facile in Herbariis haec species a priori distinguitur non foliorum glabritie tantum, sed etiam magnitudine, quippe quae 16 lin. in diametro habent, et saepe hanc mensuram excedunt. Minus recte Vahlus caulem fruticosum dixit, quum teste Forskohlio haec stirps arbor grandis sit.

17.

Salsola Suaeda.

S. fruticosa, diffusa; foliis semiteretibus, obtusis, alternis; floribus axillaribus, solitariis aggregatisve; calycibus inermibus. †.

Suaeda vera. Forsk. arab. p. 69.

Patria Arabia felix.

Miserat hanc plantam Schrebero Vahlus, aut quis alius, certo a Vahlis acceptam, cum dubio, an Forskohlii *Suaeda vera* sit. Impossibile certe est, in sicco et vetulo specimine fructificationem examinare. *Suaedam veram* esse suadent flores plerumque soli-

litarii, sessiles in axillis foliorum, quorum tamen nonnunquam tres quatuorve adsunt; suadent folia semiteretia, obtusa, incurva, quam formam floralia praesertim eleganter retinent; suadet color ramulorum obscurus, nigricans, qui in recenti planta facile violaceus fuerit, cum tamen cortex ramorum antiquiorum ita expallescat, ut virgae salicinae decorticatae colorem referat.

Ad Salsolae genus Schreberus retulit.

Differt a Salsolis herbaceis caule fruticoso;

a *S. vermiculata* foliis uniformibus, solitariis;

a *S. Arbuscula* foliis solitariis;

a *S. arborescenti* foliis omnibus solitariis, inflorescentia nullo modo spicata.

a *SS. sedoide* et *muricata* foliis glaberrimis, et a posteriore etiam calyce incrmi.

a *SS. fruticosa* et *indica* foliis patulis, minime imbricatis, et floralibus flore longioribus, floribusque plerisque solitariis.

a *S. aphylla* denique caule ramisque foliosis.

18.

Statice incana.

S. caule subaphyllo, subdichotome paniculato: paniculae ramis triquetris; foliis radicalibus lanceolato-spathulatis, mucronatis. 4.

Statice incana. *Vahl symbol. III. p. 25.* — *Willd. spec. I. p. 25.*

Sta-

Statice speciosa. Forsk. arab. p. LXV.

Habitat in Aegypto.

An haec planta in Siberia inveniatur, nullo certo auctore proditur. Linnaeus illam a Forskohlio habuit, et arabicam credidit, quae quidem opinio erroris argui nequit, quum haec patria non repugnet; sed Forskohlius illam in Aegypto legit, inter aegyptiacas plantas, inter arabicas tacet.

Folia ad radicem numerosa, variae longitudinis, maxima tamen duos pollices transversos vix attingunt, lanceolato-spathulata, mucronata, trinervia. Inter haec Caulis exsurgit, spithamali magnitudine non multo major, teretiusculus, compressus tamen, dichotomiam adfectans, quin vere dichotomus sit; Rami trigoni, iteratramosi, ramulis alternis. Folia nulla in caule et ramis, praeterquam ad ramificationes, ubi semiamplexicaulia, acuta, lanceolata, brevia adsident. Fructificationem, quantum in sicco specimine licet, Vahlus descripsit.

Differt a *S. spathulata* *), cui simillima, 1) pubescentia: incana enim est, quum illa folia habeat utrinque glabra; 2) forma foliorum: nam foliorum spathula oblonga est, illius obovata. Plures certe differentiae manifestae fierent, si plantam vivam cum viva conferre liceret.

19.

Zanthoxylum punctatum.

Z. spinosum, triandrum, calycibus tripartitis; foliis ternatis: foliolis oblongis, coriaceis: margine reflexo, crenulato. †.

Zan-

*) Willd. hort. berol. I. fol. 63.

Zanthoxylum punctatum. Willd. spec. IV. p. 754. n. 4.

Habitat in Monte Serrato Insula, et in Insula S. Crucis.

Ex posteriore loco habuit Vahlius, in priore Robrius legisse videtur.

Ego quidem de Specie nullus dubito, etsi ramulum, qui coram est, spinosum non videam; sed nec in *Z. Clava herculis* spinæ seu aculei valde frequentes sunt. Folia ego quidem ternata video, rarius binata, supra nitentia, subtus albidiora et sine omni nitore, consistentia fere buxæorum, sed minus crassa, foliolis oblongis, margine revolutis, crenulatis, puncta quidem ope lentis vitreæ in pagina aversa video, sed minutissima, nec excavata ut in *Vite idæa*, superficialia, et jam copiosiora, jam rariora, vereorque ut foliis propria sint, forte ad *Sphaerias* vel *Accidii* genus pertinentia; certe etiam in cortice ramuli ejusmodi puncta adsunt, sed majora. Flores minimi. Calyx triphyllus.

C L A S S I S VI.

20.

Allium desertorum.

A. caule teretifolio, umbellifero, foliis brevioribus; pedunculis elongatis. 4.

Allium desertorum. Forsk. arab. p. 72.

Habitat in desertis Cahirianis.

Caulis vix tres pollices transversos excedit, sed folia sunt multo longiora. Flores, quod formam attinet, ut in *Allio carinato*.

Stamina inquisivi, sed in vetulo specimine extricare non potui. Suspicio Filamenta subulata, et Forskohlium per errorem hoc de antheris enuntiasset.

CLASSIS VII.

21.

Limeum humile.

L. caule procumbente; foliis suborbiculatis, mucronatis, petiolatis.

Limeum humile. *Forsk. arab. p. 79.*

Habitat in Arabia ad Lohajam.

Caules procumbentes, filiformes, cum *Ramis* alternis nudiusculi; *Folia* solitaria ad ramorum exortum, suborbicularia, mucronata, magnitudine lenticulae majoris, petiolo dimidii folii longitudine, tenui, basi tamen nonnihil dilatato et fere amplexicauli. Flores solitarii ex axillis ramorum. De genere nihil statuere possum, nisi Forskohlii autoritate, quum florem perfectum non viderim.

CLASSIS VIII.

22.

Amyris Kataf.

A. foliis ternatis; pedunculis fasciculatis, terminalibus, elongato-simplicibus, demum cymoso-ramosis. †.

Amyris Kataf. *Forsk. arab. n. 80.* — *Vahl symb. I. p. 28.* — *Willd. spec. II. p. 334. n. 5.*

Habitat in Arabia felici.

Pedunculi nec proprie dichotomi nec bifidi dici possunt, etsi ad utramque formam accedant. Video ego quosdam breves, simplicissimos, unifloros; reliqui elongantur, demum finduntur in tres aut plures, bifloros, aut pluribus floribus praeditos; plerumque pedicelli intermedii seu divisiones centrales magis elongantur, sed non semper. Folia in ramulo a Vahllo ad Schreberum misso variae formae video, ut vix duo sint similia; serraturas invenire diu non licuit, partim quia margo nonnihil reflectitur, et hinc in foliis agglutinatis serraturae visui subtrahuntur, partim quia sua natura sunt obsoletiusculae.

C L A S S I S X.

23.

Cassia ligustrinoides.

C. foliolis lanceolatis, quinquejugis cum impari: infimis minoribus; floribus racemosis; leguminibus compressissimis, glabris.

Habitat in Arabia. Herb. Schreb.

Planta frutescens. Folia alterna. Petioli, Pedunculi, cum Caule glabri. Foliola brevissime petiolata, perfecte lanceolata, quinquejuga cum impari: infima paulo minora. An glandula in Petiolo adsit, videre non potui. Corolla videtur flava esse cum venis saturatoribus. Legumina leguminibus Sennae simillima, apice rotundata, glabra.

Pro *Cassia lanceolata* Forskohlii *) primo intuitu habui; sed differt leguminibus glaberrimis, oblongis, nec linearibus villosis.

23²

24.

*) Flor. arab. p. 85.

Silene nicaeensis.

S. floribus solitariis, lateralibus, tota glutinoso-pubescens; foliis linearibus; calycibus cylindricis, decemstriatis; petalis bifidis. ☉.

Silene nicaeensis. *Allioni pedem. n.* 1576.

Habitat ad littora maris circa Tunetum. *Vahl in Herb. Schreb.*

Procumbens, glutinoso-pubescens. Folia linearia, remotiuscula.

Calyces striati, florentes cylindrici, fructificantes clavati.

Arenaria filifolia.

A. caulibus suffruticosis, ad ramos flexuosis; foliis subulatis, pedunculis terminalibus, unifloris; calyce corollam superaute. 4.

Arenaria filifolia. *Forsk. arab. p.* 211. — *Vahl symb. I. p.* 33. *tab.* 12. — *Willd. spec. II. p.* 727. *n.* 31.

Habitat in Monte Boca Arabiae.

Caulis proprie dichotomus non est, sed ramos gerit alternos, et ad quemvis ramum a via deflectit. *Folia* subulata, opposita, basi membranaceo-connata, ut in genere moris est; fasciculata proprie non sunt, sed ad axillas oritur ramulus, cujus folia nondum elongato ramulo fasciculum constituunt, in solo laetiori per spatium longe manifestius divellenda, quale quid etiam in *Spergula nodosa* obtinet. *Pedunculi* terminales tres, uniflori, subelongati solent, sed non semper, circa sui medium duo folia opposita habere. *Calyx* corolla paulo longior: foliolis lanceolatis, acutissimis, trinerviis; bi-

bistriata dixit Valius, sed ille per strias intellexit sulcos, non porcas.

CLASSIS XI.

26.

Talinum decumbens.

T. caule decumbente; foliis planis, obovatis, in petiolum attenuatis; racemis subterminalibus, depauperatis. 5.

Talinum decumbens. Willd. spec. II. p. 864.

Orygia decumbens. Forsk. arab. p. 103.

Portulacca decumbens. Vahl symb. I. p. 33.

Habitat in Arabia felici.

Miserat plantam Schrebero Vahlius cum nomine *Portulaccae cuneifoliae*, sed videtur memoria lapsus; nam huic nostrae calyx manifeste pentaphyllus (*P. cuneifoliae* diphyllus). Petala deciderint. Folia ego omnia opposita video, etsi Vahlius alterna dicat; Forskohlius de foliorum situ nihil habet. Caulis fruticosus dicitur, et angulatus; ego ramum herbaceum video, angulatum tamen.

27.

Euphorbia linearis.

E umbella trifida, dichotoma; involucris lanceolatis, serrato-denticulatis; foliis linearibus, apice truncato marginibusque supremis serratis. 4.

Euphorbia retusa. Forsk. arab. p. 93.

Eu-

Euphorbia serrata. Vahl. symb. II. p. 55.

Habitat in desertis Cahirianis, ubi tamen rarius occurrit.

Radix lignosa, perennis, *Caules* plures proferens, vix semipedem altos, simplices, foliosos, apice umbelliferos. *Folia* plane linearia, truncata, sed hoc apice truncato et proximis marginibus lateralibus denticulatis. *Umbellam* trifidam dichotomam dicit Forskohlius, quod ego in agglutinata planta non satis distinguo, video tamen *Involucra* ex ovata basi lanceolata, toto margine denticulata, foliis majora.

Forskohlius ipse fatetur, suam plantam a Linnaeana differre, quod perennis sit, folia denticulata, et involucra foliis latiora habeat, hinc mutandum nomen erat. Ob eandem rationem Vahl's nomen adoptare non licuit, quum planta, quam Linnaeus *serratam* dixit, ramosa sit, in caule florifero cordata folia, linearia in ramis sterilibus, et umbellam quinquefidam gerat.

28.

Glinus setiflorus.

G. tomentosus; caule fruticoso; foliis orbiculato-cuneatis, undulato-crenatis; floribus axillaribus, subsessilibus. †.

Glinus setiflorus. Forsk. arab. p. 95. — Vahl symb. III. p. 64. — Willd. spec. II. p. 929. n. 2.

Habitat in Inundatis Arabiae felicis.

Fauca habeo, quae ad bonas Descriptiones Forskohlii et Vahl's addam. *Tomentum*, quo tota planta plus minus obducitur, ex pilis stellatis constat, longiusculis tamen, et plerumque erectis, ut fasciculati potius quam stellati sind. *Folia* obovata non sunt, sed,

sed vere orbiculata, ita tamen, ut basi cuneatam formam assumant; per omnem marginem crenata videntur, sed videntur tantum, habent enim marginem integerrimum, sed minute undulatum, quo fit, ut crenas mentiantur. *Florem* Forskohlius in Glimo crystallino melius descripsit, quam in hac specie: nam quae Nectaria audiunt, ea is in hac specie petala dixit, revera stamina castrata sunt, saepe trifida. *Spinulae* rigidae in basi pedunculorum, etiam parvae, sed satis fortes in ramorum apice. Denique *Caules* dichotome ramosos dicere nollem; sed, diffusi quum sint, fere ramos habent secundos, ea nempe plaga, quae caelum respicit.

CLASSIS XIII.

29.

Cistus Teucrium.

C. suffruticosus, stipulatus, procumbens; foliis oblongis, margine revolutis, calycibusque tomentosis. †.

Habitat — — —

Nomen Triviale Schreberus adscripsit, qui plantam a Vahlis ex collectione Forsteri habuit.

Planta parva, quae ex radice caules plures, filiformes, simpliciusculos, procumbentes, tomentosos, dense foliosos, producit. Folia ulterna, oblonga, circiter tres lineas longa, dense tomentosa, lateribus revoluta. Flores terminales. Calyces dense tomentosi. Corollas fructumque non vidi.

30.

Chelidonium dodecandrum.

Ch. foliis petiolatis, bipinnatifidis; floribus solitariis; siliqua tetragona, quadrisulcata. ☉.

Che-

Chelidonium dodecandrum. *Forsk. arab. p. 100.*

Habitat in desertis Cahirianis.

Planta parva, ut pedunculus cum sua siliqua facile sit tota planta longior, ramosa tamen nonnihil. *Folia* radicalia bipinnatifida, laciniis ovatis; tribus extimis confluentibus; caulina vix bipinnatifida, sed simpliciter pinnatifida: laciniis linearibus, una aut altera, saepe nulla, lacinia laterali aucta. *Flores* pedunculati, axillares, parvi: pedunculis solitariis. *Calyx* valde setosus. *Siliqua* crecta, digitos duos transversos longa, tetragona, quadrisuleata, setis patentibus, validis hispida. Flores apertos non vidi. Corollas violaceas, et stamina non plura quam 14 dicit Forskohlius.

CLASSIS XIV.

31.

Simbuleta Ennesem.

CHAR. GEN. Didynamia angiosperma. *Calyx* quinquefidus.
Cor. ringens. *Antherae* connatae in corpus transversum moniliforme. (ante Columneam).

Ennesem. S. ©.

Simbuleta. *Forsk. arab. p. 115.*

Forskohlius et fructificationem hujus generis anomali et totam plantam egregie descripsit, tamen, quod mireris, Systemati a nostris systematum scriptoribus illata non est, propterea, ut opinor, quod a nullo alio Botanico vadimonium observationibus indefessi Forskohlii praestitum sit, quod quidem fortasse praeter Vahlum, qui Herbarium hujus Itineratoris coram habuit, et Schreberum, cui is specimen misit, praestare nemo potuit. Verum prior, quod descri-

scriptioni Forskohlianae addendum nihil erat, de illa in Symbolis verbum nullum fecit, et alter, dum occasionem expectat, de illa loquendi, moritur.

Ego inflorescentiam ad Forskohlii ductum cum cura examinavi. et hanc descriptionem obtinui.

* * *

CAL. monophyllus, quinquedentatus: dentibus lineari-lanceolatis, angustissimis.

COR. calyce major, monopetala, ringens. *Tubus* supra calycem amplior, subcampanulatus. *Labium superius* brevius, bifidum. *Labium inferius* longius, trilobum: lobo intermedio inflexo.

STAMINA quatuor, sub labio superiori, illoque breviora. *Filamenta* valde gracilia. *Antherae* quatuor manifestae, sed in corpusculum transversum moniliforme connatae.

PISTILLUM in vetulo specimine extricare non potui. *Ovarium* ovatum, *Stylum* filiformem, et *Stigma* capitatum dicit Forskohlius.

FRUCTUM nemo Botanicorum vidit unquam.

RADICEM annuam dicit Forskohlius.

CAULIS erectus, simplex, dense foliosus.

FOLIA sparsa, stricta, $\frac{3}{4}$ digiti Viennensis longa, lineari-filiformia, acuta, numerosissima, caulem fere abscondentia.

INFLORESCENTIA in apice caulis, racemosa; Racemo digitos Viennenses duos cum dimidio longo. Flores parvi, pedicellis brevibus, solitariis insidentes, nutantes, singuli fulti Bractea filiformi, florem ipsum longitudine superante.

Quod si haec descriptio cum illa conferatur, quam Forskohlius dedit, una alteram confirmabit. Sunt quaedam in mea, quae paulo accuratius dicta sunt, quia per otium dicta sunt, quod Forskohlio in itinere minus licuit; alia accuratius ab illo explicata sunt, quia vivam plantam habuit.

Nomen genericum Forskohlius ex arabica lingua formavit; ego triviale ex eadem lingua addidi, quia duobus his vocabulis simul junctis incolae hanc stirpem indicant.

CLASSIS XVII.

32.

Polygala tinctoria.

P. floribus cristatis, racemosis, terminalibus axillaribusque; foliis obovatis, cauleque erecto ramoso pubescentibus. †.

Polygala tinctoria. Vahl symbol. I. p. 50. — Willd. spec. III. p. 884. n. 58.

Polygala bracteolata. Forsk. arab. p. 213.

Habitat in Hadje, Arabiae felicitis provincia.

Villosa proprie dici planta non potest, sed pubescens; etsi pubes satis densa sit, non est tamen longa.

Ramum tantum vidi ex Herbario Forskohlii, florentem tamen.

Spartium monospermum.

S. ramis striatis; racemis lateralibus: floribus approximatis; foliis lanceolatis sericeis. †.

Spartium monospermum. Vahl symbol. I. p. 51. — Willd. spec. III. p. 927. n. 3.

Genista Raetam. Forsk. arab. p. 214.

Patria praeter Hispaniam etiam Aegyptus circa Suez.

Flores et Fructus non vidi in planta Forskohliana, convenit tamen exacte cum icone et descriptione tam Clusiana Spartii II hispanici *), quam Forskohliana Genistae Raetam; convenit etiam nomen, quod Hispani cum Arabibus commune habent. Etiam Vahlus plantam Forskohlianam ad hanc speciem retulit. Difficultatem tamen habet, quod Forskohlius suae plantae legumen seminibus biserialis foetum adscribat, quum Spartio monospermo semen unicum sit. An legumen alienum pro fructu hujus plantae accepit? Potuisset omnino vel in ipso ovario, cum flores habuerit, situm et numerum seminum inquirere; an hoc neglexit? An plane duo fructiculi in rerum Natura sunt, adeo per omnia simillimi, nec nisi fructu diversi?

Crotalaria biflora.

C. foliis simplicibus, ovatis, obtusiusculis, mucronatis; ramis calycibusque villosis; pedunculis oppositifoliis, subbifloris.

Crotalaria biflora. Willd. spec. III. p. 978. n. 18.

*) Hist. I, p. 3.

Habitat in India orientali.

Wistnu - Candi. *Indis.*

Rami filiformes, fere dichotomiam affectantes (ego semialteram spithamam longum coram me habeo), setis villosi. *Folia* brevissime petiolata, ovata, obtusa, setis adpressis aspera, alterna. *Pedunculi* oppositifolii, hirsuti, plerumque biflori, rarius triflori aut uniflori; *Flores* parvi, penduli. *Calyx* hirsutus, quinquepartitus, laciniis acute lanceolatis. *Stamina* nonnisi ima basi connata. *Legumen* ovato-globosum, pilis fusco-ferrugineis hirsutum.

Pedunculi non sunt axillares, uti Willdenowius in definitione dicit, sed oppositifolii, quod etiam Burmannus rectius observavit, quam verbis expressit.

Non videtur haec planta ad Forskohlilianas pertinere; quam tamen in eodem fasciculo occurrerit, de illa, quae observaverim, referre libuit. Huic propter affinitatem jungo duas alias species affines.

35.

Crotalaria pumila.

C. foliis simplicibus, lineari-lanceolatis, subsessilibus; tomentoso-hirsuta; caulibus subsimplicibus, decumbentibus; floribus terminalibus axillaribus.

Habitat — — —

Schreberus plantam Herbario suo intulit cum nomine: *Crotalariae nanae*, cum addito, *Spec. nova.* Nomen mutavi, ne cum *C. biflora* confundatur, quae a Burmanno *Crotalaria nana* vocatur.

Planta

Planta parva et inamoena est, ex una radice caules plures, procumbentes, nec digitum minimum longos protrudit, undique omnibusque partibus tomentoso-hirsutos. Folia alterna, lineari-lanceolata, subsessilia, hirsuta, uti omnia in planta. In summo caule flores aliquot, paucos numero, vix foliis longiores, axillares profert, quos non vidi, sed legumina ovata, minuta, erecta, undique tomentosa.

36.

Rafnia cordata.

R. foliis suborbiculato-cordatis, ciliatis, subsessilibus; stipulis scariosis, lanceolatis; floribus axillaribus, folio brevioribus. 4.

Habitat forte in Promontorio Bonae Spec.

Ex Herbario Schmiedelii, qui plantam pro *Crotalaria sessiliflora* habuit, in Schreberianum migravit; sed haec esse non potest, tum quod folia non sint lanceolata, tum quod Stipulae valde manifestae. Fructum non vidi; ad Rafniam refero propter magnam cum *R. amplexicauli* similitudinem.

Caules ex una radice plures, ascendentes, simplices, teretes, pilosi; pilis erectis. *Folia* alterna, simplicia, suborbiculari-cordata, acuta, inferiora brevissime petiolata, superiora majora, sessilia, superiora his majora, imbricata, quovis *Florem* solitarium, subsessilem occultante. *Calyx* pilis albis hirsutus, quinque-dentatus: dentibus lanceolatis, subaequalibus. *Corolla* videtur lanceolata fuisse.

37.

Indigofera semitrijuga.

I. foliolis obcordatis, pinnatis, quinque-ternatisque, hirsutis; leguminibus subsessilibus, torulosis, pendulis; caule decumbente, fruticoso. 5.

In-

Indigofera semitrijuga. *Forsk. arab. p. 137.* — *Vahl symbol. I. p. 67.* — *Willd. spec. III. p. 1230. n. 30.*

Indigofera argentea. *Burm. ind. p. 171.*

Habitat in Lohaja, Arabiae felicitis provincia.

Fruticulus totus argenteus, ramis praesertim junioribus foliisque. *Rami* facile spinescunt, quemadmodum in specimine video, quod coram est. *Folia* brevissime petiolata, pinnata foliolis quinque, alia ternata: foliolis parvis, obcordatis, saltem terminale tale est, quod reliquis paulo majus; reliqua rotundata videntur apice, cuneata de reliquo. *Stipulae* hirsutae, filiformes. *Flores* *Fructusque* non vidi.

38.

Hedysarum lappaceum.

H. foliis ternatis, hirsutis: foliolis obcordatis; floribus axillaribus subsolitariis; lomentis biarticulatis, tomentosis. †.

Hedysarum lappaceum. *Forsk. arab. p. 136.* — *Vahl. symb. I. p. 64.* — *Willd. spec. III. p. 1184. n. 34.*

Habitat in Lohaja, Arabiae provincia.

Definitio Vahlîi hamos aculeorum lomenti inter characteres assumit, qui tamen non semper adsunt, pluribus aculeis, imo saepe omnibus rectis. Lomento biarticulato ab omnibus speciebus differt, praeterquam ab *H. biarticulato*, a quo distinguitur lomenti articulis muricatis, et floribus axillaribus, cum illud lomenta non muricata, et flores terminales racemosos habeat.

C L A S S I S XIX.

39.

Prenanthes spinosa.

P. fruticosa; caule ramosissimo: ramis dichotomis, spinosis; foliis linearibus; pedunculis lateralibus; unifloris. †.

Prenanthes spinosa. *Forsk. arab. p. 144.* — *Vahl. symb. II. p. 66.* — *Willd. spec. III. p. 1538. n. 17.*

Habitat in littore isthmi aegyptiaci circa Suez.

Rami adeo dichotomiam adfectant, ut ipsae spinae, quae fere omnes terminales sunt, illam conservent. Haec dichotomia, quam Vahlus inter characteres específicos refert, melior Nota est, quam quae a foliis desumitur: nam haec in fruticulo, qui ad nos perfertur, saepe desunt, et in ipsa viva planta character inconstans est: teste enim Forskohlio semper quidem sunt linearia, sed nonnisi interdum lineari-sinuata.

40.

Serratula spinosa.

S. caule dichotomo; foliis tripartitis, simplicibusque, pungentibus: laciniis linearibus. †.

Serratula spinosa. *Forsk. arab. p. 217.*

Habitat in insulis Imbro et Tenedo, ad Dardanellas, in littore Natoliae, quo postremo loco tomentosula evadit.

Frutex dumosus, diffusus, non parvus, quum propter spinas ad hortorum agrorumque sepes adhibeatur.

Habitus omnino Serratulae, ut ex ramo video, quem Vahlus a Forskohlio habuit, et qui nunc in Herbario Schreberiano est. *Calycis* cylindrici squamae oblongae, margine membranaceae, subhyalinae, terminatae mucrone minuto, non pungente. *Pappus* setaceus, dentatus. *Receptaculum* nudum, nec paleaceum, nec villosum. *Flosculos* non vidi, sed tubulosos facile credo, quod Forskohlius plantam cum *Centaurea spinosa* conferat, a qua tamen calycibus foliisque differt. *Caulis* imperfecte dichotomus; *Rami* striati. *Folia* sessilia, linearia, 9 lin. longa, angustissima, pungentia, simplicia et tripartita: laciniis lateralibus divergentibus, multo brevioribus.

Graecis *Ιαλα στυβία*, Turcis Djevan dicitur. Prius nomen forte ex *βάλλον στυπος* (vitrea stirps) corruptum est, plantaeque inditum propter subtransparentes margines squamarum calycinarum.

41.

Gnaphalium spicatum.

G. herbaceum; caule numeroso, simplice, toto foliis sublinearibus, sublanatis obtecto.

Gnaphalium spicatum. *Vahl symb. I. p. 70.* — *Willd. spec. III. 1886. n. 95.*

Chrysocoma spicata. *Forsk. arab. p. LXXXIII.*

Habitat in desertis circa Cahiram.

In specimine Schreberi, quod a Vahlus habuit, cassi calyces adsunt. Dubitaveram primum de genere, nescius, an cum Forskohlio, qui vivam plantam viderat, an cum Vahlus, qui nonnisi siccam et mancam examinare potuit, sentirem. Auxit dubium paucitas flosculorum, quum decem non plures foveolae in receptaculo adessent, flosculorum delapsorum vestigia, quod magis cum *Chrysocoma* quam

quam cum *Gnaphalio* convenire videbatur. Sed idem exiguus numerus flosculorum etiam passim in filiginosis *Gnaphaliis* obtinet, inter quae hanc speciem Willdenowius retulit.

Radix filiformis, flexuosa, ut videtur, annua. *Caules* in ipso radice capite fasciculati, illud quasi in verticillo coronantes, variae altitudinis, sed altissimi vix ultra digitum indicem longi, fere a basi usque ad summum verticem floribus subsessilibus, foliisque hos flores circumdantibus obsessi. *Folia* haec linearia sunt (inferiora breviora, summa circiter 6 lin. longa), sed siccitate retrorsum tota sua longitudine convolvuntur, ut carnosa videantur; non tomentosa, sed supra parca, subtus multo copiosiore lana tecta; hanc lanam, uti sua natura ex coagulato transsudante succo ortam suspicor, quemadmodum in variis *Cnicis* obtinet, in viva planta glutinosum quid retinuisse credibile est, quippe tota sua longitudine haec folia arenulis minutissimis adhaerentibus infecta sunt.

Omnes hi flores cum ambientibus suis foliis nihil aliud, quam ramuli decurtati videntur, et suspicari libet, quod si hanc plantam nostris hortis inferri contigerit, fore, ut caules hi simplicissimi in ramosos abeant.

42.

Gnaphalium Kurmense.

G. fruticosum; foliis confertis, linearibus, lanato-tomentosis, canis, semiaplexicaulibus, erectis; corymbo terminali, multifloro, capituliformi. †.

Gnaphalium fruticosum. *Forsk. arab. p. 218.*

Habitat in monte Kurma Arabiae.

Proxime mihi cum *GG. satirejoide* et *capitellato* convenire videtur haec species. Quantum hic frutex evadat, me quidem latet, sed videtur comam satis densam formare, ramos enim per paria non longis a sese intervallis provenire video, ita ut quodvis par uni fere lateri adsideat, cum socialium horum ramorum unus ab altero non-

nisi 3—4 lineis distet. In ramis paulo vetustioribus, forte prioris anni, folia decidisse video, at in floriferis, id est; extremis ramulis conferta sunt, sparsa, linearia, canaliculato-convoluta (forte ob exsiccationem), 5 lin. longa, angusta, lanato-tomentosa, apice mucronulo obtuso terminata. Corymbus terminalis, capitulum referens hemisphaericum, constans ex floribus numerosis (26 flores numeravi, etsi agglutinata planta non omnes videre potuerim), parvis ($1\frac{1}{2}$ lin. longis, non integram lineam crassis; calyces cylindrici, facti ex squamis aureis, imbricatis, rotundatis; nonnihil lanæ hos calyces obducere videtur.

43.

Jacobaea auriculata.

J. foliis lanceolatis, pinnatis: pinnis serratis: terminali lanceolata, maxima; auriculis stipularibus; calycibus intactis.

Senecio auriculatus. Vahl symb. I. p. 72. tab. 18. — Willd. spec. III. p. 1998. n. 78.

Senecio lyratus. Forsk. arab. p. 148.

Habitat in montibus Hadiensibus.

Obs. Cum Linnaei *Senecione alpino*, hodierna *Cineraria alpina* confundi non potest, multum enim omnibus partibus ab illo differt foliis circumscriptione lanceolatis, minoribus, floribus multo minoribus, radio parvo, et toto habitu graciliore.

Ego descriptiones et Forskohlî et Vahlî cum Natura contuli, et sequentem inde formavi descriptionem.

Caules (plures ex eadem radice) cubitales, diffusi, ramosi, striati, glabriusculi. Rami ramosi, glabri. Folia digitos duos Viennenses longitudine, digitum indicem transversum latitudine nonnihil excedunt, petiolata, circumscriptione lanceolata, pinnata pinnis 3—7, quarum extrema reliquas longe excedit (sola $1\frac{1}{2}$ digitum longa), omnes argute et inaequaliter serratae, glabriusculae; accedunt plerumque auriculæ duæ ad petiolorum basin. Petioli pubescentes, folio multo

bre-

breviores. *Inflorescentia* subcorymbosa, terminalis. *Flores* floribus Senecionis vulgaris non majores. *Pedicelli* squamis pluribus foliaceis minutis obsiti, *Pedunculi* fere nudi. *Calyces* simplices, fere ut in Senecione vulgari, sed glabri, intacti: foliola acuta. *Flosculi* radii 8—10, ligulati, calyce paulo majores.

44.

Aster Ansif.

A. fruticosus, foliis sessilibus, angusto-linearibus, acutis, subtus hirsutis; floribus solitariis, axillaribus, subsessilibus. \bar{h} .

Aster ericaefolius. Forsk. arab. p. 150.

Ansif Arabibus.

Habitat in monte Kurma Arabiae.

Rami cortice pallide fusco, sed ex lana tenui, qua obducitur, canescente, a residuis foliorum sedibus exasperati. *Folia* sparsa, conferta, linearia, angustissima, acuta, fere 9 lin. lata, in planta sicca parum introrsum involuta, supra glabriuscula, subtus brevi hirsutie tecta, ad suam in ramum inarticulationem subtus glabra. *Flores* in axillis solitarii, sessiles, rari, nempe nonnisi illis in axillis, ex quibus novus ramulus exurgit. *Calycis* squamae exteriores ovatae, interiores lanceolatae.

C L A S S I S XXIV.

45.

Xyloma Clutiae.

X. solitarium, circulare, margine circuli post lapsum fungilli elevato.

Habitat in foliis Clutiae lanceolatae.

Circulare, planum, margine elevato circumdatum, qui post lapsum fungilli in folio remanet. Figura circularis tamen subinde in irregularem obtuse angulosam mutatur. Diameter $\frac{1}{2}$ lin.

* * *

Mirari quis fortasse jure sibi videatur, qui fiat, ut Forskohlii auctoritas, ubi sola est, a systematum seu clenchorum universalium scriptoribus hodiernis fere negligatur. Vix enim unquam contingit, ut ex ditissima hujus viri Flora aegyptiaco-arabica plantam ullam ejusmodi indicibus insertam videamus, nisi quam Vahlus illustravit. Ego vero adeo non reprehendendos hos viros censeo, ut potius jure illos facere credam, et ni facerent, labem suis operibus essent illaturi. Forskohlius nempe, ut fere Itineratorum plerorumque mos est, sibi soli scripsit, quae scripserat, per otium et cum cura examinaturus, quum novae suae patriae, Daniae, redditus fuisset, dum interim ipse usu rerum peritior, exercitatione dexterior, ipsa perpetua, etsi quasi cursoria, naturae tractatione doctior evasisset. Neque enim is consummatus Botanicus, veluti Gronovius aliquis aut Burmannus, erat, quum iter ingredretur, sed alienissimis disciplinis intentus, vitae rationem sibi longe aliam sequendam proposuerat, nonnisi ab officiis gravioribus vacuas horulas in studium naturae collaturus, mentem recreandi, non novis laboribus fatigandi causa. Egregium ille quidem ab Linnaeo testimonium tulerat, sed tamen discipulus adhuc erat, Magister non erat; maximas de se spes excitarat, nondum impleverat, sine dubio impleturus, nisi fatis praereptus fuisset.

Quae quum ita sint, cum gratiam a Botanicorum Republica sese inituros, tum de imperterriti Viri manibus bene merituros esse, confidere posse videntur, quibus contingit, corpora naturalia, quae superstes ex omni expeditione Niebuhrius in Europam attulit, ex lege artis examinare, describere, ad sua genera referre, et relictis Forskohlii operibus eam qua licet, in publicum utilitatem addere, quam ipse, si superstes fuisset, uberius multo collaturus erat, recenti rerum visarum memoria praeclare instructus, corporibusque his ipsis, quae nondum tempus edax rerum, cariesque momorderat, ad inquirendum longe, quam post tantum temporis lapsum, aptioribus.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Denkschriften der Akademie der Wissenschaften München](#)

Jahr/Year: 1819

Band/Volume: [07](#)

Autor(en)/Author(s): Schrank (Schranck) Franz de Paula von

Artikel/Article: [Commentatio de rarioribus quibusdam, maximam partem arabicis, plantis in amplissima Schreberi collectione repertis 161-196](#)